



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

72. An qui scit Italicè, non autem Latine legere, possit ab Episcopo initiari
prima Tonsura, & quid si nesciat scribere? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. res.
27. p. 299.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

standum esse puto, quam adducit Garcia de beneficiis, tom. 1. part. 2. cap. 5. num. 86. ubi sic ait. Non tamen potest Episcopus dispensare cum suo familiari trienniali, aliis non subdito super illegitimitate, etiam ad minores Ordines, Nauarrus confil. 13. de temporibus ordinationis, & Genuen. dist. cap. 81. n. 3. Man. Rodrigue, & P. Ledema supr. nec super interstitiis, Nauarr. confil. 12. eod. tit. & Genuen. ibi Mandos. & Ledema. nisi pro Ecclesia suae utilitate, ut in sequenti declaratione S. Congregationis Congregatio censuit, & declarauit, quod licet Episcopus possit ordinare familiarem suum triennialem, sibi aliis non subiectum, & dare illi dimissorias ad ordinandum a quocumque, dispensate tamen non potest super interstitiis, de quibus cap. 13. & 14. nisi pro Ecclesia suae utilitate. Huc usque Garcia ex sacra Congregatione.

3. Et hanc sententiam docet etiam Cenedo in 99. Canon. quest. 38. num. 31. Sanchez in opusculo. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 27. num. 3. Zypaeus in Annales. Pont. lib. 1. tit. de Ordin. num. 7. Squillante de privileg. Cleric. cap. 4. num. 244. Marchinus de sacram. Ordinis, tract. 1. part. 5. cap. 10. num. 11. Marcellus Vulpe in praxi fore. Eccles. cap. 7. num. 18.

4. Non deseram tamen adnotare nouissimè affirmatiuam sententiam docere Escobar in Theol. moral. tract. 7. exam. 8. cap. 4. n. 75. ubi sic ait. Ex vi Concilij Tridentini sess. 23. cap. 9. potest Episcopus non tantum ordinare suum familiarem alienae Diocesis, qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, quando ei beneficium confert; sed etiam idem potest quoad famulum familiaris, qui eius expensis alitur, ut Sanchez affirmat. Adicio posse etiam cum eis in interstitiis dispensare. Ita ille. Sed quia Garcia adducit declarationem Cardinalium, quam ego suppono, ut dixi, esse posteriorem: idè huic adherendum esse puto; cum prior remanserit derogata per posteriorem, ex his, quae notat Garcia de beneficiis, tom. 1. part. 3. cap. 4. num. 13. & Sarauia de adiunctis, quest. 18. num. 20. sicut etiam a ferunt dicendum esse de Rota decisionibus: nam si contrariae reperiantur, posterioribus standum est.

RESOL. LXXII.

An qui scit Italicè non autem Latine legere, possit ab Episcopo initiari prima Tonsura, & quid, si nesciat scribere? Ex part. 5. tit. 14. & Misc. 2. Ref. 27.

§. 1. Quoad primum negatiuè videtur respondendum, quia Paludanus in 4. dist. 24. q. 3. num. 8. docet requiri legere Psalmos, & Rebuffus tract. de pacifica possessione, num. 214. dicit illiteratum, qui modicas literas scit legere in vulgari.

2. At his non obstantibus puto contrariam sententiam tenendam esse, quia Concil. Trid. sess. 23. cap. 12. de reform. dicit. Non iniurietur prima Tonsura, qui nescit legere, & cum negatiua illa non inclusa, in verbo, nescit, totam affirmatiuam destruat, & contrarium eius ponat iuxta glossam singularem in c. cum dilectus, de consuet. si aliquis scit legere saltem Italicè, v. g. non potest dici nescire legere, seu nullo modo scire legere, quae sunt æquipollentia. Et hæc omnia docet Sanchez in opusculo. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 46. num. 11. cui ego addo Azorium tom. 4. lib. 6. cap. 6. num. 2. & Barbosam de potest. Episcopi part. 2. alleg. 11. num. 5. in fine.

3. Quoad secundum verò sufficere, quod character formate sciat, quamvis scribere perfectè nesciat, docet Sellius in select. Canon. cap. 5. n. 6. ubi testatur ita declarasse sacram Congregationem

Episcoporum & Regularium sub die 13. Octobr. 1593.

RESOL. LXXIII.

An mutus, surdus, & cæcus possit ordinari?

Et quid, de surdastro, qui difficulter audit?

Et quid est dicendum de illis, qui impeditioris sunt lingua, aut blæsi, ut Moyses, aut balbi, ut Demosthenes, nisi forte notabilem difficultatem loquendi haberent?

Et quid est sentiendum de carente visu oculi sinistri, qui dicitur oculus Canonis? Ex part. 5. tract. 6. Ref. 22.

§. 1. Dico primò quòd surdus, & qui nullo modo audire potest, iure Canonico irregularis est, & idè nec promouendus est, & promotus deici debet. Altera verò tantum aures surdus, item surdaster, difficulter audiens, non est irregularis, ex Maiol. lib. 1. de irregular. cap. 25. num. 1. & Alphonso Vialdo tractat. de irregular. n. 156. Iacob. de Graff. lib. 4. cap. 27. n. 51. dummodo utranque habeat autem.

Sup. hoc surdastro in Ref. seq.

2. Dico secundò, quòd qui mutus est, & lingua caret, quique lingue vltim perdidit, aut non potest se explicare, irregularis est, ne promoueri possit, & propter impossibilitatem perdit Ordinis executionem; ex S. Th. 3. part. quest. 82. art. 10. ad 3. Scot. 4. dist. 13. art. fin. ad 3. Tab. ver. corpore vitiat. num. 2. §. Primò, in fine, & Maiol. lib. 1. de irreg. cap. 26. Alphonso Vialdo. tract. de irreg. num. 162. & Iacobo de Graff. lib. 4. cap. 27. num. 50. & Henriquez. lib. 14. c. 8. §. 2. Qui verò impeditioris sunt lingua, aut blæsi, ut Moyses, & balbi, ut Demosthenes, qui calculus sub lingua positus R, litteram postea didicit, non sunt irregulares. Maiol. num. 3. Iacob. de Graff. lib. 4. cap. 27. num. 50. nisi forte notabilem difficultatem in loquendo haberent, & hæc omnia docet etiam Sayrus de censuris, lib. 6. cap. 8. num. 17. & 21. & Hugolinus de irregularitate, cap. 46. num. 3. & 4.

3. Dico terciò, quòd qui caret vno oculo, est irregularis. Ita Syluester sup. quest. 6. P. Henriquez num. 2. & probatur ex cap. si Evangelica, 50. dist. at verò si habeat utrumque oculum integrum, quamuis careat visu dextri, non est irregularis. Sed quid si careat visu sinistri, qui dicitur oculus Canonis? Respondetur, si ita videat dextro, ut sine indecora conuersione faciei ad populum possit legere Canonem, ad quod etiam iuuabit Missalis adaptatio, non est irregularis, aliàs erit, & ita docet Auila de cens. part. 7. dist. 3. dub. 1.

Sup. contento in hoc §. quamuis pro Regularibus lege tamen in 10. 7. tr. 1. ex Ref. 289. doctrinam §. Sed difficultas, à lin. 8. & vers. Idem etiam.

RESOL. LXXIV.

Ex quadam huius Regni ciuitate relata hæc questio mihi fuit: Possit ne quidam Religiosus surdaster ad sacros Ordines promoueri? Ex part. 2. tit. 17. & Misc. 3. Ref. 20.

§. 1. Paulus Comitoli. in suis resp. mor. lib. 6. q. 55. negatiuè responderet, & multis rationibus conatur hanc suam confirmare sententiam, sed præcipuè hoc argumento. Gelasius Papa ad Clericorum munera eos promoueri vetat, qui sunt vitiatii corpore. Verum surdaster est vitiatius corpore. Ergo ad munera Clericorum promoueri nõ potest. Minor ad hunc modum probatur. Is est vitiatius corpore, qui corporis vitio aliquo laborat. Verum surdaster corporis vitio laborat, est enim surdastitas vitii audi-

Sup. hoc ex doctrina Resol. præterite ad lin. 4. eius §. 1.

Sup. his dimissorias super in Ref. 61.

Sup. hoc late supra in Ref. 61. & 66.